

et consilium secuti, togati potius potentiam, quam armati victoriam subissemus. Sed haec longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit: illa quae majora sunt, brevius exponam. Ego habeo, cui plus quam tibi debeam, neminem: quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi hujus belli casus eripuit; qui sim autem hoc tempore, intelligo. Sed quia nemo est tam afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit navare aliquid, et efficere: omne meum consilium, operam, studium certe velim existimes tibi tuisque liberis esse debitum. Vale.

XXIII. M. T. C. A. TORQUATO S. D.

«Excusat quod rarius scripserit: solatur ex spe meliorum temporum, propter quam non sit, quod timeat: saltem ex communi omnium conditione, ideoque aequius ferenda.»

Peto a te, ne me putes oblivione tui rarius ad te scribere, quam solebam: sed aut gravitate valetudinis, qua tamen jam paululum videor levare, aut quod absim ab urbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. Quare velim ita statutum habeas, me tui memoriam cum summa benevolentia tenere, tuasque omnes res non minori mihi curae, quam meas esse. Quod majore in varietate versata est adhuc tua causa, quam homines aut volebant, aut opinabantur, mihi crede, non est, pro malis temporum, quod moleste feras. Necesse est enim, aut armis urgeri rempublicam sempiternis: aut his positis, recreari aliquando, aut funditus interire. Si arma valebunt, nec eos, a quibus reciperis, vereri debes; nec eos, quos adjuvisti: si armis aut conditione positis, aut defatigatione abjectis, aut victoria detractis civitas respiraverit, et dignitate frui tibi, et fortunis licebit. Sin omnino interierint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus M. Antonius jam tum timebat, cum tantum instare malorum suspicabatur, misera est illa quidem con-